

Johann Quistorp Heinrich Krause

Disputatio Theologica Inauguralis, De Sanctissima Et Sufficientissima Christi Satisfactione /Quam Iussu & Autoritate ... Collegii Theologici in Celeberrima Academia Rostochiensi, Sub Praesidio ... Dn. Johannis Quistorpii, S.S. Theolog. Doct: ... Publico eruditorum examini submittit M. Henricus Krause, Torga-Misn. ... Ad diem 15. Ianuarii, in Auditorio Maiori, Horis ante & pomeridianis

Rostochii: Kilius, 1646

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn738067156>

Druck Freier  Zugang



- ① Programm f. d. H. Krause
- ② Vert. H. Krause

J. Quistorp 16
R. U. theol. 1646.

בית

DISPUTATIO THEOLOGICA
INAUGURALIS,
DE
SANCTISSIMA
ET SUFFICIENTISSIMA
CHRISTI SATISFACTIONE,

Quam

Jussu & Autoritate

Reverendi & Amplissimi Collegij Theologici
in Celeberrimâ Academiâ Rostochiensî,

SUB PRÆSIDIO

Viri Reverendi admod. Ampliſſ. atq; Excellentissimi

DN. JOHANNIS QUISTORPII,
S.S. Theolog. Doct: & P.P. Celeberrimi, Pastoris,
& Superintendentis hujus urbis dignissimi, nec non
P. t. DECANI spectatissimi, Dn. Præceptoris, atq; Promotoris
sui omni obsequij cultu aternum de-
venerandi.

*Pro impetrandis summis in Theologia Honoribus,
& Privilegiis Doctoralibus,*

Publico eruditorum examini submittit


M. HEINRICUS KRAUSE, Torgâ-Misn.
Civitatis Weissenfelsensis Pastor, & Super-
intendentens.

*Ad diem 15. Januarij, in Auditorio Majori,
Horis ante & pomeridianis.*

ROSTOCHII,

Litæris NICOLAI KILII, Acad. Typogr. Anno 1646.





INTROITUS.



Quod Philosophorum Princeps Aristoteles in examine principiorum naturalium dixit: ἐνός ἀπίπεδόνος τὰλλα συμβαίνει. Dato uno absurdo, alia sequuntur; id non immerito quoque ad Photimianos referri potest. Etenim cum in salutis nostrae fundamento Christo Jesu aberrant, & de ipsius personâ monstruosas opiniones ex proprio cerebro enatas, foveant: quicquid in reliquis articulis superstruunt, id sponte suâ corruiat, copiosissimam absurderum messem post se relinquit. Talis enim est omnium articulorum fidei conditio, ut quoddam commune vinculum habeant, & quasi cognatione quadam inter se contineantur, ita ut, unico fidei articulo sinistrè explicato, reliqui quoque consistere nequeant. Hoc quoque apparet in augustissimo, & creditu maxime necessario fidei Christianæ articulo, de sanctissimâ & sufficientissimâ Jesu Christi pro peccatis & salute humani generis satisfactione, ex quâ omnis nostra salus & beatitudo, omniaque beneficia aeterna nobis parca unice dependent; Quid enim est, quod conscientiam nostram reddis tranquillam? Quam Christi satisfactio? Quid est, quod hominem in articulo mortis constitutum consolatur? Christi satisfactio. Quid est, quod nobis januam caelestem aperuit? Christi satisfactio. Putarunt quidem in plurimis doctrinam Catholicam deserendam, majori tamen cum periculo nunquam ab ea recesserunt, quam in illis, quæ ad gloriam Christi pertinent, beneficia nimirum summa abnegando. Sic enim planè novam salutis rationem excogitant, nempe homi-

12

nem

nem, non ob imputatum Christi meritum, sed ex merâ gratiâ,
(sitamen benè operetur, & præceptis DEI obediat,) salvari: Et
quia nemo potest obedire, sine obediendi facultate; fingunt in
homine liberum arbitrium; & quoniam hoc stare nequit cum
corruptione natura, peccatum originis planè pro figmento ha-
bent, & hominem à DEO mortalem fuisse creatum, statuunt. Hac
& alia quam plurima consecutaria ex doctrinâ illorum fluunt,
quorum alterum gignit alterum, non secus, ac unda trudit un-
dam. Sed quid de hoc satisfactionis articulo Photiniani dicunt
ac sentiunt, & quomodo generis humani seductor hoc moliat,ur,
ut totum Christum cum merito suo eripere possit, id in sequen-
tibus apparebit. In illo enim nullâ ex parte, ut verbi divini
lucerna præit, rectâ viâ incedunt, sed secundum stulta rationis
præscriptum, modum salutis effingunt, & sic DEI consilium ab
omni æternitate in initium, interturbant. At mirum profecto mini-
mè est, qui Christo gloriam divinam, hoc est, veri nominis DEI
tatem, sive naturam alteram eamq; nobiliorem sustulerunt,
iidem & officia ipsius imminuant, & beneficia ipsius præcipuè
recusent agnoscere. Proinde, ut videant, quid de arduo hoc
fidei articulo sentiant, mihi injunctum est, ex institutioni-
bus ipsorum hac de re sententiam proferre; ipsorumq;.
errata ob oculos ponere. Non enim omnia ipsorum argumen-
ta singillatim percenserem, sed us, quantum quidem per leges
ac limites Disputationi præscriptos licebit, manifestum fiat,
qualis sit in hoc articulo dissensus inter nos (quos vocant Lu-
theranos) & adversarios. Inquiremus autem in quinque
præcipuè capita, quorum primum erit. Quomodo satisfac-
tio Christi in sacrâ scripturâ describatur, & quæ sit
nostra ex illâ sententia: alterum inquiret in sententiam
Photinianorum & Papistarum, quomodo illi satisfactionem
describant; tertium exhibebit controversias, nobis cum
Photinianis & Papistis circa hunc articulum interceden-
tes,

tes, simulq; addetur brevis quorundam, quæ ab adversariis afferuntur, argumentorum refutatio. Quartum ex antiquitate & Testimonio Patrū veritatē hujus articuli astringet. Quintū quæstiones circa hunc articulū occurrentes, subjunget. Antequam autem ad rem ipsam nos accingamus. Sp. Sanctum precamur, ut nos doceat, quanta nobis à DEO donata sint, roboret credentes, arguat incredulos, ut omnis lingua confiteatur, Jesum Christum esse Dominum, ad gloriam DEI patris. Amen.

CAPUT I.

De veritate satisfactionis Christi & nostrâ de illâ sententiâ, quæ probatur Scripturâ dictâ.

Th. I.

Sacræ literæ testantur, DEUM hominem creasse & ad similitudinem suam effinxisse, in libertate arbitrij condidisse, quâ persistere in integritate & non persistere potuit, ita tamen, ut deflectere, quod propriâ voluntatē fecit, non debuerit.

II. Verum homo severissimum DEI mandatum transgressus, in instinctu Diaboli, omnis calamitatis ac miseræ authoris, & se & totam suam posteritatem, pro qua quoq; coelestia dona accepit, vi veritatis ac justitiæ divinæ, in extremas calamitates, imò in sempiternas inferni flammæ præcipitavit. Nullum tunc in totâ rerum naturâ inveniebatur auxilium, quod ex inferni faucibus nos eripere potuisset: DEI ira erat infinita, nostra omnia dicta, facta, cõgitata finita, imò prava, ad malum prona, & ne minimâ ex parte cum DEO comparanda. Adærant quidem sanctorum Spirituum virtutes, verum nec illæ poterant iram DEI, Æterna monte graviorem, portare, nihil fuit, quod nos juvare posset.

III. Quam omnis spes decollasset, placuit S. Sanctæ Trinitati, ut ita in peccata prolapsa, & infernales pœnas pro merito humano generi consuleretur.

IV. Æternus DEI filius assumeret carnem humanam, ut per mortem destrueret eum, qui mortis habebat imperium, i. e. Diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant servi-

anti Heb. II, 14. deniq; legi se submitteret, & eos, qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum DEI reciperemus Gal IV, 4. & 5.

V. Conclufit itaq; DEUS homines non cæco fortunæ casu falvare, sed media certa ordinavit, ut, qui firmâ persuasione filij DEI merito inniterentur, & tanquam sub firmissimo aliquo clypeo, in ipsius vulneribus delitescerent, illi æternam damnationem effugiant, æternamq; beatitudinem consequantur. Etenim divina majestas post lapsum extra filium suum misericors esse nequit, nec Christus sine verâ fide prodest, nec fides sine gratiâ DEI, Christi q; merito, vel esse, vel definiri unquam potest. Hæc enim tria, misericordia DEI Patris, Filij obædientia, & fides, sibi Christi meritum applicans, tam arctissimâ colligatione sunt inter se conjuncta, atque devincta, ut si una harum defuerit, homo, satisfactione istâ frui nunquam potest.

VI. Hæc nostra est de satisfactione Christi sententia, in scripturâ sacrâ fundata, quam his sequentibus scripturæ testimoniis confirmare volumus, illa enim est fundamentum nostræ religionis, & quod in scripturâ non habetur, eadem facilitate corrui, quâ astruitur.

VII. Scriptura autem sacra satisfactionem ita describit, ut naturalis vocum evidentia & dispositio facillè monstret, verè quidem, & pro æternâ salute generis humani factum. Ita loquitur *Johannes I. Epist. II, 2. Καὶ αὐτὸς ἰλασμός ἐστι περὶ τῶν ἁρματιῶν ἡμῶν. Rom. III, 24. Δικαιώμενοι δωρεὰν τῆ αὐτῆ χάριτι, Διὰ τῆς ἀπλουτερώσεως ἐν χριστῷ Ἰησοῦ Matth. XX. 28. Καὶ δῶναί τὴν ψυχὴν αὐτῆ λύτρον αὐτῆ πολλῶν. I. Tim. II. 6. Ὁ δὲ εἰς αὐτὸν ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων. Hebr. IX. 12. Διὰ τῆς ἰδίας αἱματις εἰσήλθεν ἐφάπαξ εἰς τὰ ἁγία, αἰωνίαν λύτρωσιν ἐνεργάμενος.*

VIII. In his & aliis Scripturæ dictis inveniuntur vocabula ἰλασμοῦ, ὑπολυτερώσεως, λυτερώσεως, λύτρος, ἀντίλυτρος, &c. Horum enim vocabulorum etymon hoc evincit, ut redemptio captivi intelligatur, quæ ab alio fit precio illi dato. Quod ex *Arist. lib. 9. Eth. E. 2. Luciano & Xenophonte; Vir Ampliff. & Excellentiff. Dn. D. Hulsem. Præceptor & Patronus meus ob singularem in me benevolentiam æternam venerabilis, in Diss. solenni de satisfactione, punct. I. §. 6 & Hugo Grotius lib. 6. de satisfact. docent.* Notum est quoq; ex concordantiis, quod in V. T. satisfactio propriè dicta per interveniens pretium denotetur per vocem

vozem: וְיָרָא unde וְיָרָא & וְיָרָא idem dicens quod λόγος, Item
 כָּפַר אֶת כָּפָר expiavit: Item וְיָרָא & וְיָרָא: Illa significatio
 salvari potest *Exod. VI. 4. Cap. IV, 12.* Ibi sermo est de liberatione
 Ægyptiacâ, quæ non simpliciter absq; precio facta, fuit enim typus
 redemptionis per Christum futuræ. Sic. *Job. XIX, 25.* Hic per
 וְיָרָא non DEUS, ut *Piscator, Junius & Mercerus* vult; Sed redemptor
 Christus intelligitur, ex requisitis redemptoris: Imò apud ipsos
 Latinos redimere significat propriè precio vel morte suâ alcerius vitam,
 fortunas, famam emere, quod testantur ipsi *Lexicographi, Rob. Ssephanus,*
Matth. Martinus, & alii. Sic *Virgilius*

-- *fratrem Pollux alterna morte redemit.*

IX. Concludimus itaq; non corporalem, quæ potest contingere
 sine pretio, & esse absoluta, non enim ab hoste externo, auro corruptibilis
 Christus nos redemit, sed spirituales redemptionem intelligi, cujus &
 causæ & conditiones sunt spirituales. Hic enim DEUS, tanquam ira-
 tus & justus iudex; hominem criminis læsæ Majestatis reum, captivum
 tenebat; non ac si quis bello captus detinetur ab hoste, à quo soluto pre-
 cio potest liberari, ut volunt Photiniani; sed eo modo, quo subditus,
 reus læsæ Majestatis; à Regè traditur lictori, nisi per satisfactionem fiat
 redemptio, morte mulcandus. Vide *Dn. Franz. Schol. sacrif. Diss.*
18. §. III. & seqq. Dn. D. Meisnerum Diss. 25. Anthor. quest. 3.

X. Quod autem non sit impropriè dicta, seu Metaphorica redem-
 ptio quæ peragitur citra alicujus precij interventum, sed propriè
 sic dicta, quæ citra pretium nec cogitari, nec perfici potest, trifariam
 probabimus.

XI. I. Ex Ἡγωνιαγγελία *Gen. III, 15.* Attulit DEUS pro-
 toplastis consolationem, ac dicit: *Semen mulieris conteret caput ser-
 pentis:* Sensus horum verborum est: Ego Filius DEI, in temporis ple-
 nitudine carnem humanam ex Virginis semine assumam, & in illâ ca-
 put, potentiam, robur, serpentis istius antiqui Diaboli, qui vos deceptus,
 meâ morte & passione conteram. Conculcare serpentem idem est,
 ac destruerè opera Diaboli *Lut. X, 19.* Sic dicitur *1. Job. III, 8.* Chri-
 stum propterea venisse in mundum, ut operâ Diaboli destrueret, nempe
 mortem & peccatum. Hæc fuit consolatio Protoplastorum con-
 tra mortem & damnationem æternam, aliâs sub irâ DEI periissent.

Hinc

Hinc suspiria Patriarcharum & desiderium illius promissi seminis conspicitur, quo tum protoplasti flagrarunt *Gen. IV, 2. Cap. XLIX, 18. II. Sam. XXIII, 10. Ps. LII, 7. Ps. CXXX, 8. Esa. XLV, 8. cap. LXIV, 1. Luc. X, 24. Johannis VIII, 46.* Dicit Christus de Abrahamo, quod diem suum videre optaverit & viderit. Hinc omnes Prophetæ, ad hoc benedictum semen, & illam primam promissionem Evangelicam respexerunt *Az. X, 43.* Illa destructio capitis serpentis fieri debuit vulneratione calcanei seminis mulieris; h. e. per mortem & passionem suam, liberavit nos à regno Sathanæ. Hæc sanguinaria calcanei Christi vulneratione, satisfactionem ac redemptionem propriam, non metaphoricam manifeste importat. Et Christus *Luc. XXIV.* hoc Protevangelium includit, dum ex Mose suam passionem demonstravit.

XII. II. Ex Sacrificiis V. Test. DEUS enim satisfactionem istam per sacrificia illa externa, vel visibilia adumbravit; In V. Test. enim fusio & sparsio sanguinis victimalis, ad eum fuit necessaria, ut absq; eâ nulla fieret *ἀφεσις*. Ac nemo ab impuritate vel culpâ absolvebatur, nisi sanguine victimali ceremonialiter aspersus: Nihil autem aliud istis victimis notatur, quam nullam peccatorum remissionem à DEO absq; sanguinis Christi, quem ille victimalis figuravit, effusione obtineri posse, nimirum obstante justitia DEI, cui non nisi morte Mediatoris satisfieri voluit. Et quemadmodum in anniversariâ expiatione populi Israëlitiçi de sanguine Juvenci spargendum erat, ante propitiatorium illud, quo factò benignè se fore appariturum in propitiatorio isto DEUS pollicitus fuerat *Lev. XVI, 12. 13. 14. 15.* nec sine sanguine sacerdoti licebat intra velum illud concedere *vers. 3* ibid: Ita necessum fuit, ut Christus, effuso suomet sanguine, DEUM nobis propitiaret: Illa autem sacrificia non fuerunt humanâ autoritate instituta, alioquin Abel non potuisset ea, tanquam cultum DEI facere ex fide *Ebr. XI, 4.* Quæ solo verbo DEI nititur; Neq; etiam DEO placuissent, sed fuit ratio sacrificandi monstrata, ab ipso Filio DEI, primis parentibus, quo scirent, istum cultum, tanquam veræ victimæ typum, DEO placere, & se fide in promissum Messiam, Justitiæ & salutis participes fieri. *Gen. IV, 4. Gen. VIII, 20. 21.* Cum Abel videret cremari agnum, intelligebat alium agnum venturum, quippe semen promissum *Num. XXVIII, 4.* Singulis diebus unum agnum manè, & unum

unum agnum vesperi, DEO offerri oportebat. Hoc iuge sacrificium
agni, ita interpretatur Petrus I. Epist. 1, 19. Redempti estis precioso sanguine
agni immaculati Christi. Job. II. 29. Ecce agnus DEI &c. Apocal. XIII. 8.
Agnus occisus est, ab origine mundi. Et ubicunq; in N. T. sanguinis Christi
fit mentio, semper de significatione sanguinis pecudum, ante & post
Mosen, in sacrificiis effusi, admonemur. Illis victimis DEUM placatum
fuisse, ostendit passim liber Leviticus. Item II. Sam. XXIV. 25. Median-
te sacrificio Davidis, DEUS placatus fuit, Ezekb. XLIII. 27. Et pla-
catus ero vobis, ait Dominus DEUS. Num. XVI. 47, 48. Aaron recon-
siliavit DEO populum, & plaga cessavit. Manet ergo hoc:

Qui expiavit peccata nostra, & ad quem respexerunt victi-
mae V. Testamenti, & summus sacerdos, ille etiam satis-
fecit.

Sed Christus, &c. Ergo:

Hoc Apostolus expressè innuit, quando ait: Eph. V, 2. Christum tradi-
dit semetipsum pro nobis, ἵνα ἑαυτὸν ἑῶν ἑωραῖαν τῷ Θεῷ ἑωραῖαν ὀφλοῖαν
hostiam DEO in odorem suavitatis. Hoc aliquoties confirmat Episto-
la ad Hebraeos, quae tota ferè in hoc occupata est, ut ostendat, peccata
nostra per Christi sacrificium expiata esse. Ita enim dicitur Cap. V,
7. Cap. VII, 27. Cap. IX, 25, 26, 27, 28. Cap. X, 11, 12.

XIII. III. Probatur hæc veritas ex Scripturæ dictis Vet. & N. T.
ea enim sunt quamplurima. Prophetam Esa. LIII. loqui de Chri-
sto, ipsi Photiniani fatentur. Ostorod: in Diss. cont. Tradel. p. 217. quia
& ipsi Evangelistæ, & Apostoli de Christo interpretati sunt, Matth. VIII,
17. Act. VIII, 32. 1. Pet. II, 24. Verba autem ita sonant: v. 4. Verè
languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit &c. Solutio
ista, in Ebraicis fontibus consistit, ibi sunt duæ cognatæ radices
נָשָׂא & כָּבַל. נָשָׂא significat remove & tollere, aut onus
quoddam ad portandum assumere. Ita sumitur נָשָׂא Exod. XIX, 4.
נָשָׂא & portabit Aaron nomina filiorum in pectorali. Item Jos. III, 3.
Indè nomen est נָשָׂא onus, quod portatur, vel pondus. Altera ra-
dix כָּבַל semper notat gestare onus impositum, bajulare, & ferre, ut
jumenta onera solent, & græcum βασίλειον propriè significat bajuli
onera portare; Gen. XLIX, 15. Inclinauit bumerum suum כָּבַל ad por-
tandum

B

tandum. Sic Esa. XLVI, 4. Et neq. ad senium ego **חֲבֹן** portabo vos.
 Vers. 14. Posuit animam ejus **זָבִיחַ** sacrificium pro reatu, piaculum,
 victimam pro peccato; Hoc enim vocabulum alias significat delictum,
 alias hostiam pro delicto Lev. V, 6. Gen. XXVI, 10 Num. XVIII, 9. Item:
 DEUS omnium nostrorum peccata, in suum filium coniecit; nos ejus
 livoribus sanati sumus, Christus omnia peccata nostra portavit; hoc est,
 Incurrere fecit in eum iniquitatem omnium nostrum; ut in hebræo tex-
 tu habetur. Psalm XLIX, 5. Quæ non rapui rependere cogor. II. Cor. V, 21.
 Qui non novit peccatum, pro nobis factus est peccatum, ut nos fierem-
 us Justitia DEI in ipso; Hoc ita explicat Excell. & pl. Reverendus Dn. D.
 Hulfemannus, in Disput. Contra Grotium de Justificatione; *Facere aliquem
 peccatum, qui peccatum non fecit, idiomate Hebræorum idem est, quod
 tractare aliquem, velut peccatorem, non opinione solum & æstimo, ut
 Photiniani velunt, sed punitione quoq; ipsa peccati vox indicat, cui
 quandocunq; verbum portandi aut istiusmodi jungitur, Interpretes pec-
 næ significationem vindicant. Lev. V, 1. cap. XX, 7. Deut. IV, 53. Zach.
 XIV 19.* Quibus jam ita declaratis, hoc modo colligimus.

*Qui tulit, seu portavit languores seu dolores nostros, seu pecca-
 ra nostra, idq; in corpore suo fecit, ille etiam satisfac-
 cit pro nobis.*

*Sed Christus tulit, seu portavit languores & dolores nostros,
 & peccata nostra, idq; in corpore suo fecit.*

E. etiam pro nobis satisfacit.

XIV. Plura sunt adhuc loca, de satisfactione loquentia, scilicet
 Job: II, 50. Expedi, ut unus moriatur &c: Luc. I. 68 cap. II, 38. I. Cor. I,
 30. Cap. VI. 20. Gal III, 13. Eph. I, 7. Cal. I, 14. Tit. II, 14. I. Pet. I, 18, 19.
 II. Pet. II, 7. Ap. V. 9. Verum non omnia possunt allegari. Unus sit instar
 omnium, ex quo veritas satisfactionis firmiter probari potest. Rom. III,
 24. 25. *Justificantur grati, per illius gratiam, per redemptionem, quæ
 est in Christo Jesu; Quem proposuit DEUS propitiatorium per fidem,
 interveniente ipsius sanguine, ad ostensionem Justitia sua, propter remis-
 sionem præteritorum peccatorum.* Dignissimus hic locus est notatu,
 in illo enim omnes justificationis causæ eleganter connectuntur. I. Ef-
 ficiens, quæ est gratia DEI. Meritoria, quæ est Christus. Instrumenta-
 lis, quæ est fides & Finalis, quæ est peccatorum remissio & divinæ gloriæ
 mani-

manifestatio. Ex quo pro veritate satisfactionis ita argumentor, & cap. 1. concludo. In quocunq; loco agitur. 1. de eo qui satisfacit; 2. Cui satisfacit. 3. pro quo satisfit. 4. de pretio, quo satisfit, ex eo satisfactionis veritas firmiter demonstrari potest. Atqui hoc in loco agitur de eo, qui satisfacit v. 24. *Ἐν ᾧ ἡμεῖς Ἰησοῦς*; vers. 25. *ὃν παρέθετο ὁ Θεὸς ἰλασθῆναι.* 2. de eo, cui satisfit, vers. 25. *ὁ Θεὸς εἰς ἐνδειξιν δικαιοσύνης.* 3. de isto, pro quo satisfit vers. 24. *διῆλθὲς νεκρῶν,* vers. 25. *ἀμαρτημάτων.* 4. de pretio, quo satisfit vers. 25. *Ἐν τῷ αὐτῷ αἵματι.* Ergo &c. Quod erat demonstrandum. Et hæc est nostrade satisfactione Christi sententia, in sacrâ scripturâ fundata, quam multis scripturâ testimoniis confirmare possemus, nisi brevitatis studium aliud suaderet.

XV. Hanc sententiam Augustana confessio breviter exponit *Art. III.* ubi hæc verba: *Docent nostra Ecclesia, quod Verbum, hoc est, Filius DEI, assumpserit humanam naturam, in utero B. Mariæ Virginis, ut sint due nature, divina & humana, in unitate persone inseparabiliter conjunctæ, unus Christus, verè DEUS, & verè homo, natus ex Virgine Mariâ, verè passus, crucifixus, mortuus & sepultus; ut reconciliaret nobis Patrem, & hostia esset, non tantum pro culpâ Originis, sed etiam pro omnibus actualibus peccatis.* Et articulo quarto: *Docent quod homines non possint justificari coram DEO, propriis viribus, aut operibus; sed gratis justificentur, propter Christum, per fidem, cum credunt se in gratiam recipi & peccata remitti, propter Christum, qui suâ morte pro peccatis nostris satisfecerit.* Hanc fidem imputat DEUS pro justitiâ coram ipso. *Rom. III. & IV.*

CAPUT II.

Proponit opinionem Adversariorum.

I. Quid Photiniani afferant, & quomodo illorum sententiam non ex purissimis Israelis fontibus, sed ex rationis suæ tenebris, plus quam cimmeriis, & ex falsâ scripturâ interpretatione hauriant, hæc si quis saltem legit, ei horrorem maximum incutiunt.

II. Non solum autem negant, ullam mentionem satisfactionis Christi, in sacris literis fieri; *Socin. cap. XV. in Præl. Theol. pag. 82. & 86.* Nusquam in sacrâ istius satisfactionis fit mentio, nec alterius rei cujusquam, que tantundem valeat; Sed part. III. de Servat. c. VI dicit idem Soc. *Etiam si id nominis non semel, sed sæpè in sacris momentis scriptum extaret, non idcirco tamen se credituros, rem ita se habere, ut no-*
opin

opinamur. Cum enim id omnino fieri non possit, non secus, atq; in multis alii scripturae testimoniis; unâ cum ceteris omnibus facio, quæ minus incommoda haberetur interpretatione adhibitâ, cum sensum ex ejusmodi verbis elicerem, qui & sibi ipsi constaret, & perpetuo ejusdem scripturae tenori non adversaretur. Et Pag. 87. & 95. in præf. Theol. dicit: Peccata nostra nihil aliud esse, quam offensæ Majestatis divinæ, & debita quædam, quæ cû DEO contrahimus Matt: XVIII. 23. Nisi itaq; DEO minus concedere velimus, quam hominibus ipsis concedatur, confitendum omnino est, Deum jure potuisse peccata condonare, sine ulla satisfactione, pergit: In DEO nullæ est Justitia, quæ peccata puniri omnino jubeat, cui ipsi renunciare non possit. Osterodus Instit. cap. XXXVII. Doctrinam de satisfactione Christi vocat opinionem volentem aniles, superstitiosas, ac papisticas fabulas. Scmalc. Disp. 4. contra Frantzius ait: Ex eo, quod satisfaciendi vocabulum non extat in sacris, totum illud dogma de satisfactione suspectum apud pios & cordatos redditur. Volckelius in tract. de V. R. l. V. c. XXII. p. 575. Quod Christus, placamentum, seu propitiatorium Græcè ἰλασθριον dicitur, satisfactionem illam minimè constituit; Primum enim locus, in quo nomen istud Christo tribuitur (Rom. III. 25.) apertissime de gratiâ DEI, peccatorumq; condonatione agit, eamq; in omnes Christo fidem adjungentes, summâ DEI liberalitate conferri docet. Deinde Apostolus in eâ appellatione ad arca operculum omnino videtur alludere, quod similiter à Græcâ V. T. interpretibus ἰλασθριον seu propitiatorium appellatum fuit, non quod DEUM iratum populo Israëlítico placaret, sed quod DEUS, eo in loco responsa populo daret, quodq; fieri ab illo vellent, per Moysen significabat, & porro benevolentiam suam erga eundem declarabat; id quod optimè in Christum quadrat, ut pote per quem DEUS voluntatem suam nobis aperiendo sese placatum seu propitium & nostri valde amantem præstitit. Huc usq; Volkelius.

III. Papistæ, quomodo satisfactionem describant, in præputulo est, parùm attendentes, quanti pretij illud sit, quod Christus meruit. Prostantur quidem, & imprimis Adamus Contze, quod per calumniam ipsis hoc à Lutheranis affingatur. Ajuur, nos negare, solum redemptorem esse Jesum Christum: Nos omni asseveratione, etiam jurejurando contestamur, solum Jesum Christum nos redemisse. Calumnia igitur illa, oportet, ut veritas audiat. Odium enim nobis, si tantum verâ de nostrâ doctrinâ loquantur, creare non poterunt; Ad vestra igitur tribunalia stamus, Illustrissimi

no Principes, rogamus, ut quod magna fortuna est, & officij, patrociniū
veritatis præstetis, nec grave est, sed æquissimū, quod postulamus. Hæc omnia
Adamus Contze, satis graviter & magnificè, pro merito Christi contra
calumnias, quas vocat, in Catholicos à Lutheranis prolatas. Videte,
quàm Speciosè Jesuita suas res in medium proferat, ut iis, qui saltem uno
oculo illorum libros inspexerunt, faciliè palpum obtrudere possit. Nos
ut seriò hoc sentiant Pontificij, & hac fide nobiscum salventur, medulli-
tus optamus.

IV. Verum ipsis solo veritatis amore id considerandum prope-
rio, an salvis suis hypothesibus satisfactionem & meritum Christi tue-
ri possint. Negant enim 1. Meriti, ac satisfactionis Christi necessitatem;
Probo hoc, tum ex claris verbis, tum certis quibusdam hypothesibus.
Quoad clara verba notetur, negari à Pontificiis, æquè ut à Photinianis,
meritū Christi absolute fuisse necessarium; Ita enim *Thomas part. III. quest.*
46. art. 2. Simpliciter & absolute loquendo possibile fuit DEO, alio modo
liberare hominem, quam per passionem Christi, quia non est impossibile omnia
verbum Luc. 1. Et si voluisset DEUS absq; omni satisfactione hominem à
peccato liberare, contra justitiam non fecisset, quia non habes aliquem su-
periore, sed ipse est summum & commune bonum universi.

V. Hypotheses Pontificiorum sunt 1. Ponderus satisfactionis Chri-
sti non in infinitate personæ, seu in infinità efficacità meriti, sed saltem in
acceptatione divinæ misericordiæ collocandum; Biel III. *sent. distinct. 19.*
art. 3. dub. 2. scribit; Plus placuit DEO hæc voluntas Christi, secundum ho-
minem voluntariè mori eligentis, ex tantà caritate elicita, quam hominum
omnium displicuere peccata, propter opus tam acceptabile Christi, quod pro
reconciliatione generis humani obtulit Trinitati, omnibus Christo incor-
poratis, remisit peccatum.

VI. 2. Negant peccatum originale & actuale. Nihil hic ipsis ex
calumnià affingo, sed omnia ex ipsorum libris, sine ullà perversione pro-
bo. De origin. peccato *Albertus Pighius, contrav. prima de peccato origi-*
nali; & Ruardus Tapperus in artic. de pecc. Orig. scribunt: In parrulo re-
cens nato nihil invenitur, quod verè, ac propriè rationem peccati habeat.
Bellarm. lib. V. de L. A. cap. 20. Malitia hereditaria pœna est, non culpa,
nisi liber à voluntate ei obediamus. Et lib. VI. de amiss. grat. cap. 5. scribit:
Peccatum Originis, non meretur mortem æternam, & pœnas inferni. De
peccato actuali notetur, quod Pontificij doceant; Homine legem DEI

implere, & vitam æternam mereri posse. Ita Bell. lib. III. de Pontif. Rom. cap. 23. antith. 6. Non timemus asserere, posse hominem per gratiam DEI justificatum, ejusdem gratiæ adjutorio, & legem implere, & eâ implitione vitam æternam mereri. Lib. IV. de Justit. cap. 13. Potest homo plus facere, quam DEUS præcipit, igitur multò magis potest implere præceptum.

VII. 3 Dicunt hominem ipsum pro se, & alius potuisse satisfacere, ita Biel. III. Sent. dist. 20. Posset DEUS peccatum remittere per solam non imputationem, posset per alium satisfieri, potuisset quilibet pro se satisfacere, si lata fuisset prima gratia, sine merito. Inspicite quæsdò formulas absolutiones, quæ apud vos adhibentur, in quibus nulla plane meriti & satisfactionis Christi fit mentio. In lib. Cerem. Pontif. ff. 231. hæc habetur formula: Precibus & meritù B. Mariæ semper Virginis, B. Michaelis Archangeli, B. Johannis Baptista, S. S. Apostolorum, Petri & Pauli, & omnium Sanctorum, misereatur vestri DEUS omnipotens, & dimissù peccatù, perducatur vos ad vitam æternam.

VIII. Hinc argumentor:

Si (1) Homo aliter quam per passionem Christi liberari potuit; (2) Satisfactio Christi in solâ divinæ misericordiæ acceptatione, non in infinitâ meriti virtute consistit; (3) Homo tum ab originali, tum actuali peccato liber est; (4) ipse homo pro se satisfacere potest; (5) Meriti sive satisfactionis Christi in absolutione nulla fit mentio, sequitur gratiam DEI, & meritum Christi facillè disvelli posse.

Sed Antecedens ex Pontificiorum libris iam est ostensum.

E. Consequens negari non potest.

Consequentia ratio, est satis manifesta, Si enim ipse homo pro se satisfacere potest, utiq; satisfactio non aded fuit necessaria, si originale peccatum nullum est, & lex ab hominibus ipsis impleri potest, quanam satisfactionis Christi erit necessitas? si mentio Christi meriti, & satisfactionis, in ipsâ absolutione non fit, utiq; satisfactio Christi non aded erit necessaria.

IX. Quid proferunt de satisfactionis Christi possibilitate, difficulter à blasphemâ liberabitur. Quam enim possibilitatem ipsi homines pro se satisfaciendi tribuunt, eam possibilitatem satisfaciendi pro hominibus ipsi Christo adimunt. Dicunt enim Christum secundum stric-
tur.

Quam rigorem iustitiæ divinæ non potuisse satisfacere; facit id Durandus. IV. sent. 15. ubi ita; *Quicquid erat in Christo secundum humanam naturam erat obligatum DEO, & ei debitum, ideo non potuit esse satisfactio de condigno pro quocumq; peccato considerando naturam operis vel rei, sed solum potuit esse satisfactio secundum acceptionem gratuitam.*

X. De Satisfactionis sufficientiâ & perfectione, quid credunt, clarum est ex Ruaro Tappero tom. I. ars. 6. fol. 241. *Christi meritum non meretur nomen perfectæ satisfactionis.* Biel. 4. sent. dist. 14. *Christi passio non est sola, & totalis causa meritoria salutis nostræ.* Petrus de Palude 4. sent. dist. 20. quest. 3. *Pro parvulis sufficit meritum Christi, quia non possunt mereri, sed adultis non sufficit meritum Christi, cum Baptismo, sed tementur addere meritum proprium.* Scot. IV. sent. dist. 15. q. 1. describit satisfactionem hominis, quod sit operatio exterior laboriosa seu poenalis voluntariè assumpta, ad puniendum peccata. *Concil. Trid. Sess. 14. cap. 8. Dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro nostris peccatis satisfecit, ex quo omnium nostra sufficientia est, conformes reddimur.*

XI. Hinc argumentor:

Quicumq; satisfactioni aliquid addendum est, illa non est perfecta.

Satisfactioni Christi, satisfactio hominum addenda est;

E. satisfactio Christi non est perfecta.

Major est immortæ veritatis. Id enim quod absolute est perfectum, nullam additionem, aut perfectionem admittere potest. Minor est Pontificiorum. E. eorundem quoq; erit conclusio. Addo & hoc quod satisfactionem Christi sine bonis operibus inefficacem statuunt. Ita enim Bessæus fol. 477. *Du Keger der du dem Verdiensten des Herren vnd dessen Blut zuviel irawest/ hast hieraus zu lernen/ daß sie dich alle beyde von der Todt. Sünde / wosern sie durch die Buss (quid per hanc intelligat, sequentia docent) zu nütze macheß. Sie waschen dir auch die läßliche Sünde ab/ so ferne du sie applicireß durch gute Werke/ nemlich durch Almosen/ Reichwasser/ vnd andere Goteseligkeit. Die Passion leß dir auch die Straffenach/ wosern er appliciret wird durch Fasten/ härin Kleider/ Beißunge/ vnd Päpstliche indulgenzen. Sogar leß er die Straffe nach/ in jener Welt/ wosern sie er appliciret wird durchs Segeswer.*

XII. Hos

XII. Hoc, quomodo cum perfectione meriti Christi consistere possit, non equidem capio, cum videam latronem in cruce sine ulla illorum medicorum applicatione, salvatum fuisse *Luc. XXIII. 43.*

XIII. Et quod magis est, ipsi Francisco, ejusque sanguini, & Beatæ Mariæ, redemptionem tribuunt; expressè enim scribunt; illos duntaxat, qui vixerunt usque ad tempora Francisci, sanguine Christi fuisse redemptos, reliquos autem, qui secuti sunt, redemptos fuisse ipsius Francisci sanguine, ex flosculis S. Francisci. Ne verò quis putet, privatam hanc fuisse opinionem Monachorum; dico, quod publicam eam fecerit *Paulus III. Pontifex*, qui Petrum Paulum Vergerium, Episcopum Justinopolitanum, publico edicto damnavit, quod contra istos Francisci flosculos librum edidisset; de quo videatur *Wolffius Cent. XIII. fol. 122.* Franciscus Labata Jesuita hoc dicit in lib: de Maria, prop 4, *Quot milia fuerunt, sunt & erunt, qui jam in Gehennam damnati essent, vel damnati forent, nisi mater DEI pro illis intervenisset.*

XIV. Tandem, qui asserit pro peccatis venialibus, & poenâ temporali in purgatorio satisfaciendum esse, ille certè negat Christum pro omnibus peccatis satisfecisse. Quod faciunt Pontificij, imprimis Gregorius de Valentia cap. IV. de Purgatorio, fol. 279 Colster. in Enchirid. art. 16. p. 492. Non possum quin Vigverij verba hic ascribam, qui cap. 16. *Instit. S. 4. p. 27. dicit. Quia contingit aliquando, quod aliqui existens in gratiâ, obnoxius reatibus poenarum pro peccatis preteritis, moritur ante expiationem: Et quia (ut dicitur Apoc. XXI.) non intrabit in illam (sc. civitatem cælestem Hierosolymam) aliquid coinquatum, aut abominationem faciens; Et reatus poenæ sit quedam coinquatio, ideo necessariò ponendus est locus, ubi post mortem expientur & exsolvantur reatus poenæ temporalis; aliter feret injuria justitiæ divinæ, si non punirentur, & misericordiæ divinæ, si non expiarentur.*

XV. Hinc summam omnium, quæ jam ex Pontificiis prolata sunt huic syllogismo includo.

Quicumque negat 1. Satisfactionis Christi necessitatem, possibilitatem, sufficientiam; 2. Satisfactionem Christi convellit. Sed Pontificij hoc faciunt.

E. Satisfactionem Christi convellunt, & per consequens, non minus, quam Phociniani hunc Articul. impugnant.

Hæc

Hæc Pontificiorum sententia, prolixius ex propriis ipsorum libris demonstranda fuisset, ne per calumniam aliquid ipsis affinxisse videamur; verum per leges Disputationi præscriptas non licet; Sin autem secus sentiunt, linguam & calamum mutant, vel si non est omnium (quod de simplicioribus, & plurimis in agone constitutis concedo) hæc sententia, ab ita loquentibus divortium faciant.

CAPUT III.

Solvit objectiones Adversariorum, & exhibet simul controversias nobis cum Photinianis, & Papistis circa satisfactionem Christi intercedentes.

I. Insignis sanè impudentia est Photinianorum, dicentium, vocabulum satisfaciendi non extare in sacris literis. Sciant autem, scripturam sacram non à Prophetis & Apostolis latinè esse conscriptam; sed Ebraicè & Græcè. Proinde videndum est, quomodo de satisfactione & merito Christi in propria lingua loquantur. I. *Job. II, 2. Christus est ἰλασμός pro totius mundi peccatū*, hoc est, propitiatorium, & expiatio, respiciens ad sacrificia ἱλαστικὰ expiatoria, in V. Test.

II. Posito deinde vocem hanc sæpius metaphoricè sumi in Bibliis, quàm propriè; (quod tamen in N. Test. nunquam fit) nulla tamen consequentia est, propterea quoq; metaphoricè sumendam esse, quando de Christi merito usurpatur. Tandiu enim propriæ vocis significationi insistendum est, donec necessitas constructionis metaphoricam imperet, cujusmodi necessitatem metaphoricæ significationis, quandocunq; Socinus præterdit, principium in hac materiâ petit.

III. Fit itaq; mentio satisfactionis Christi in sacris, non quidem κατὰ λέξιν quoad verba, sed κατὰ δόξαν quoad sensum & phrasium æquipollentiam, rectè Nazianzenus lib. V. de Theolog. dicit: *Reverum quedam non sunt, & tamen in sacris dicuntur*, ut: DEI dormire & vigilare. *Quaedam cum sint non dicuntur*; ut ὁμοῦσον ἀγέννητον, Trinitas, Sacramentum. Liberum enim est cuivis, commodis, & rectè rem explicantibus verbis, sententiam suam proponere, ut quod asserit, intelligatur clarius, & adversariorum vocularum, quibus suos errores tegunt, focus ostendatur manifestius.

IV. Deinde Photiniani, & imprimis Socinus in Prælect. Theol.

p. 87, & 89. Parabolam istam *Matth. XVIII. 23.* de creditore, & debi-
tore latius extendunt, quam tertium, cui probando, seu illustrando est
adhibita, admittit: Scopus autem parabolæ est, agere de privatis offensis,
quas nos proximo condonare debemus, cœlestis patris clementiam imi-
tantes; Non verò agitur de mysterio redemptionis, id quod ex *supra citatis*
textus patet: Christus enim loquitur de remissione, sed non de modo,
an fiat per satisfactionem, an gratuito. Et posito, quod ratio ibi pe-
tatur à gratiâ, & misericordiâ DEI, sicut DEUS nobis remittit peccata,
ita & nos proximo delicta remittamus, satisfactio tamen, & meritum
Christi non excluduntur.

V. Committunt quoq; fallaciam comparationis; Non enim
æqualiter se habent creditor, cui infertur injuria, & DEUS: DEUS
enim ratione suæ justitiæ non privati ejusdem creditoris personam ga-
rit, qui sine ullo respectu æqui & justî, debitum condonare possit, quo-
modo & quando velit, sed severissimum agit judicem, puniens ea, quæ
contra legem, & justitiam fuerunt commissa.

VI. Distinguendum est itaq; hoc in loco, inter creditorem priva-
rum & pecuniarium, & inter publicum & judicarium, hoc est, exacto-
rem justitiæ. Considerent quæso Photiniani DEI veritatem, ac postea
dicant, an possibile fuerit. Comminatus est DEUS Protoplastis mor-
tem, si peccarent *Gen. II, 17.* Quacunq; die commederis de arbore
vetitâ, morte morieris, seu moriendo morieris; Ibi in Ebræo habetur
מָוֶתְךָ מוֹתָּךְ quæ phrasîs in scripturâ communiter de quavis morte
usurpatur. De corporali usurpatur *Gen. XXVI. 11.* Qui tetigerit ho-
minem istum, aut uxorem ejus, moriendo morietur. *Exod. XX, 16.* Qui
maledixerit patri suo, aut matri suæ, moriendo morietur. *Judic. XIII, 22.*
moriendo moriemur, quia vidimus DEUM. II. *Sam. XII, 14.* Filius
qui natus est tibi, morte morietur. De spiritali & corporali morte
simul usurpatur *Ezech. III, 18.* Cum dixerò impio moriendo morieris;
Sic hoc loco, ista phrasîs significat tam corporalem, quam spiritualem
mortem: DEUS enim minatur, quicquid mors est, se inflicturn peccanti.
Nec est comminatio particularis, de aliquâ morte, sed inde-
finita, aequipollens universali de quavis morte, quod etiam doctiores
Ebræi geminatione מָוֶתְךָ מוֹתָּךְ moriendo morieris, indicare volunt,
Itaq; mortis nomine significatur, quicquid vitæ & felicitati Adami non-
dum

dum lapsi futurum erat adversum, si peccaret. Promisit DEUS omnimodam vitam, si persisteret, minatus est etiam omnimodam mortem, si peccaret. Adam tam à corporali, quam spiritali morte immunis fuisset, si non peccasset; Ergo si peccaret, obnoxius esse deberet corporali, & spiritali morti. Quia itaq; DEUS comminatus fuit Protoplastis mortem, tam corporalem, quam spiritualem, proinde veracissimus DEUS, vi veritatis suæ, utramq; mortem Adamo infligere debuit, una cum posteris; siquidem omnes posteri cum Adamo peccarunt, & ita Adamus cum omnibus suis posteris primo mortem temporalem sustinisset; secundò, tam corpus, quam anima, vi veritatis & comminationis divinæ, etiam æternam mortem sustinere debuisset. Aut itaq; nobis in æternum pereundum, aut satisfaciendū fuit. Considerent Phoeniciani DEI Justitiam infinitam, quæ læsa erat, illa requirebat à peccatoribus; tam temporalem, quàm æternam seu spiritualem pœnam, aut itaq; nobis in æternum pereundum, aut satisfaciendum fuit. Justitia DEI est immota, quæ nullo pacto potest mutari; ut immutabilis est, in promissionibus, ita & in comminationibus, Mal. III. Jac. I, 17. *Apud DEUM non est transmutatio, aut conversio, obumbratio.* Prov. XVII, 15. *Abominatio coram DEO, justificare impium, sine justitiâ.* Deut. XXVII. 27. dicit DEUS: *Maledictus, qui non permanet in sermonibus legis hujus, nec eos opere perficit.* Matth. V. 18. *Nec jota unum, nec apex unus interibit ex lege, donec omnia impleantur.* Hinc Paulus ait; Rom: V. Stipendium peccati mors est; stipendium, h. e. meritum, debitum ex ordine justitiæ divinæ, quæ unicuiq; tribuit, quod suum est, peccato debetur mors, quam nisi DEUS retribuisset peccantibus, non foret justus vindex; Sicut dicitur Jacob. I, 15. *peccatum peractum, gignit mortem.*

VII. Concludimus itaque, hominem non posse consistere in horribilo divinitatis judicio, quando DEI misericordiam nudam apprehendit, cum peccatis enim pollutis, & contaminatis hominibus, DEUS non agit secundum suam misericordiam, sed secundum justitiam, quod probatur Psal. V. 6. *Non DEUS volens iniquitatem tuas, non habitabit tecum malignus, odisti omnes perpetrantes scelera.* Psal. XC. 7. 8. Esai, LIX. 2. *Peccata nos & DEUM separant;* hinc mors introiit mundum Rom. V. 2. Si ergò DEUS executionem pœnæ requirit à nobis, actum est nobiscum Psal. CXXX. 3. Psal. CXLIII. 2. Hiob. IX. 3, *Nam veluti ignis*

flamma, (sunt verba Augustini) admotam materiam penitus absorbit, & in cineres redigit: Ita ira divina, quæ est igni consumens omnes peccatores, misericordie nuda fidentes, & Christi satisfactionem non apprehendentes, veluti stipulas devorat. Id quod erat demonstrandum.

XIII. Verba *Volkelij* quod attinet cap. 2. §. 8. allata; Respondemus distinguendo. 1. inter remissionem peccatorum consideratam à parte Christi, & à parte nostri. A parte Christi satisfaciens, non est gratuita, sed juxta rigorem & dictamen summæ Justitiæ meritoria: A parte autem nostra sic est gratuita, ut nullo modo sit meritoria, nec ratione acquisitionis, nec applicationis, nec plenariæ consummationis. 2. Inter condonationem peccatorum absolutam, quæ absolvitur absq; omni satisfactionis precio; & inter condonationem conditionatam, ac limitatam, quæ innititur precio, sive ab eo, cui debitum condonatur, vel ab alio solvendo; de hac, non de ista D. Paulus loquitur *Rom. III. 25.* Vide Excell. Dn. D. Hulsemann: *Disp. solen. de satisf. punct. 2. th. 6. Stegm. Photin. Disp. 31. q. 2.* 3. Resp. Posito, non tamen concessio, propitiatorium præcisè non repræsentasse Christum, ratione sacerdotij & satisfactionis, adhuc tamen satisfactionis veritas obtinet, etenim non solum propitiatorium, sed etiam sacrificia coram eodem in conspectu DEI repræsentabant Christum non Prophetam, sed sacerdotem, non typicum, sed antitypicum, utpote pro hominum peccatis mortuum.

IX. Quod attinet Pontificios, qui satisfactionem propriam satisfactioni Christi addendam censent, refutamus illos omnes, his scripturæ dictis, quæ exclusivam continent *Rom. XI. 6. Quod si per gratiam, non jam ex operibus, quandoquidem gratia, jam non est gratia; Si ex operibus, jam non est gratia, quandoquidem opus, jam non opus.* Notetur hîc, quod justificatio ita divinæ gratiæ adscribatur, ut simul excludatur omne id, quod in nobis hæret, ita quidem, ut illa sola sit, & nulla virtus infusa, quæ nos justificet. Plura qui desiderat adeat *ant hrop. B. Meisn. par. III. disp. 24.* Addo & hoc, quod nostra opera sint debita. *Luc. XVII. 10. Psal. CXV. 1.* Non sunt nostra, sed DEI, qui ea in nobis excitat: Sunt imperfecta, & peccatis contaminata. *Vid. Gesn. in Dan. cap. IV. q. 19.*

CAPUT

CAPUT, IV.

Ex Antiquitate & Testimonio Patrum veritatem hujus articuli astruit.

I. Quamvis omnes ac singuli fidei articuli, ex scripturis divinis interpretandi sint, & eorum sensus ille demum verus judicandus, quem sacer codex nobis commonstrat, si quid tamen præterea ad veram eorum intelligentiam efflagitetur, id ex communi Doctorum Ecclesiæ, inde ab iavio constanter traditâ explanatione rectissimè depromitur.

II. Propterea & nos operæ pretium facturi videmur, si quid ipsi de hoc fidei articulo senserint, ex scriptis eorum investigemus. Adducimus verò principio ex secundo, post Christum natum, seculo, Sanctum Irenæum, qui lib. v, c. 2. adversus Valentinum ait: *Neg, enim carnem ac sanguinem, quibus nos redemit, verè habuisset, nisi veterem Adami fictionem in sese instaurasset.* Post Irenæum, ex tertio seculo, producimus Tertullianum, qui floruit A. C. 230. & Cap. XIII. contra judæos ait: *Christum oportebat pro omnibus gentibus fieri sacrificium, qui tanquam ovis ad victimam ductus est, & velut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum.* Pertinent huc etiam, quæ in hoc ipso seculo, commentatur Origines, in cap. XVI. Matth. tract. 2. *Homo non potest dare aliquam commutationem pro anima suâ, DEUS autem pro animabus omnium dedit commutationem. pretiosus sanguinem filij sui, nec enim empti sumus corruptibili argento, vel auro, sed pretioso sanguine agni immaculati.* Idem est epist. ad Rom. l. II. c. 2. *Estemini sine dubio verum esse, quod scriptum est in epistola Petri. Quia redempti sumus non corruptibili precio argenti & auri, sed pretioso sanguine unigeniti.* Si ergo pretio empti sumus, ut etiam Paulus ad stipulatur, ab aliquo sine dubio empti sumus, cujus eramus servi, qui & precium poposcit quod voluit, ut de potestate dimittat, quos tenebat. Tenebat autem nos diabolus, cui distracti fueramus peccatis nostris. Poposcit ergo precium nostrum sanguinem Christi. Verum donec Jesu sanguis daretur, quam pretiosus fuit, ut solus pro omnium redemptione sufficeret, necessarium fuit eos, qui instruebantur in lege, unumquemq; pro se, velut ad imitationem quandam futura redemptionis sanguinem suum dare; & propterea nos, pro quibus completum est pretium sanguinis Christi, non necesse habemus, pro nobis ipsis pretium offerre. Cyprianus, qui floruit hoc ipso seculo, ait in Epist. VIII. ad Clem. & plebem. *Orabat ille pro nobis, cum peccator ipse non esset, sed nostra peccata portaret.* id. ad Cæcilium epist. LXIII. *Nos omnes portabat Christus, qui & peccata nostra portabat.*

III. Hæc quidem materiam, non præcæ tantum Ecclesiæ Doctores, sed & Poëtæ quoq; illius temporis, sibi propriam esse voluerunt, sine carminibus, istius beneficii laudes tractarentur. Quod manifestum hæc, si unum duntaxat ex eorum numero produxerimus, nimirum Lactantium, qui in l. de beneficiis Christi ita cecinit.

*Quisquis ades, mediq; subis in limina templi,
Siste parum, in fontemq; tuo pro crimine passum
Respice me &c. & paulo post.*

*Te propter vitamq; tuam sum virginis abvum
Ingressus, sum factus homo, atq; horrentia passus
Funera &c. Et quæ sequuntur, sunt enim plura.*

IV. Hæc sunt vetustiores auctores, qui uno aut altero post Christum natum seculo floruerunt, & hoc attestantur. Possem hic allegare quoq; doctiores, qui paulo post vixerunt; Eusebium, Athanasium, Hilarium, Cyrillum, Basilium, Gregorium Nazianzenum, Nyssenum; Epiphanium, qui omnes unanimi consensu hoc nobiscum fatentur, Christum verè pro nobis satisfecisse. Placet Ambrosij allegare verba, quæ super Lucam lib. VII. Cap. 12. scribit. *Adversarius tanquam captivum mancipia viliori precio estimationis addicit: At verò Dominus, tanquam speciosa servitia, quæ ad imaginem & similitudinem sui fecit, idoneus operum estimator, magno precio res redemit; sicut Apostolus dixit: Empti enim estis precio magno: Et bene magno, quod non aestimatur ære, sed sanguine. Quia pro nobis mortuus est Christus, qui pretioso nos sanguine liberavit. Et bene pretioso, quia immaculati corporis sanguis est, quia sanguis est Filij Dei, qui non solum de maledicto legis, sed etiam de impietatis morte perpetuâ nos redemit. Idem in comment. super illa Lucæ verba; Peccavi, quod tradiderim sanguinem innoxium. Pretium sanguinis est pretium dominica passionis; ergo precio sanguinis emitur mundus à Christo. Id. in Epist. I. Cor. II. cap. 5. Quoniam oblatu est pro peccatis non immerito peccatum factus dicitur, quia & hostia in lege quæ pro peccatis, offerebatur, peccatum nuncupabatur, ut nos essemus justitia Dei in ipso, qui peccatum nesciebat, dicente Esaiâ, qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus, quasi peccator occisus est, ut peccatores justificarentur apud Deum in Christo.*

V. Ambrosio addimus Hieronymum, qui lib. I. adversus Pelagianos ita scribit; *Cumq; ait, voluerit intrare, offerat vitulum pro peccato & arie.*

Et arietem in holocaustum, duosq; hircos accipiat ab universo populo; unus ex eis offerat pro peccato suo, & unum pro peccato populi, & arietem in holocaustum. Alter hircorum cuncta peccata suscipit populi, in typum Domini salvatoris, & offert in solitudinem, & sic placatur DEUS omni multitudi- ni. Idem in Esa. Cap. LIII. Despectus erat, & ignobilis, quando pende- bat in cruce, & factus pro nobis maledictus, peccata nostra portabas, & loquebatur Patri, DEUS meus, quare me dereliquisti.

VI. Augustinus, qui fuit Princeps seculi quinti, & infinitis in locis, & aperte satisfactionem Christi describit; Nos unum atq; alterum lo- cum afferemus. Lib. XIII. Cap. 14. ait. *Quæ est justitia, quæ victus est Dia- bolus? Quæ nisi justitia Jesu Christi? Et quomodo victus est? Quia cum in- tro nihil morte dignum inveniret, occidit. Hoc est quod justificari dicimur in Christi sanguine. Sic quippe in remissionem peccatorum nostrorum, inno- cens sanguis ille effusus est, &c.* Pergit inde ad passionem, ut pro debitori- bus nobis, quod ipse non debebat, exsolveret. Et capitely. *Tunc sanguis ille, quoniam ejus erat, qui nullum habuit omnino peccatum, ad remissionem nostrorum fusus est peccatorum, ut qui a eos diabolus merito tenebat, quos pec- catis reos conditione mortis obstrinxit, hos per eum merito dimitteret, quem nullius peccati reum immerito pena mortis affecit. Hac justitia victus, & hoc vinculo victus est fortis, ut vasa ejus eriperentur, quæ apud eum, cum ip- so & angelis ejus fuerant vasa ira, & in vasa misericordiæ verterentur.* Idem in Johann. tr: XLI. *Non reconciliamur, nisi ablato peccato, quod est medium separans; sed mediator est reconcilians. Ut ergo tollatur materia separans, venit ille mediator, & factus est sacrificium sacerdos ipse.* Idem Augustin. de Temp. Serm. VIII. *Duplex principaliter causa est, ob quam Dei filius, est filius hominis. Una est, ut secundum hominem, omnia patien- do pro nobis à peccatorum nos vinculis liberaret; Sic enim Esaias Prophe- ta prædixerat: Hic peccata nostra portavit, &c. Altera verò causa est do- minica passionis, ut nos, quos sanguine suo redemit, à vitii atq; criminibus, non solum doctrina auxilio & gratiæ; sed etiam exemplo suo ad studium sanctitatis accenderet.* De Tempor. serm. CI. *Mors nisi à morte superari non poterat; ideo mortem Christus sustinuit, ut injusta mors, justam vin- ceret mortem, & liberaret reos justæ, dum pro eis occidebatur injustæ.* Plura ex antiquitate qui desiderat, abeat Hugon: Geotium, de Satisfact. ibi mul- ta inveniet, quæ ex illo sumpsimus.

VII. Verum hæc loca propterea allegavimus, ut sciamus, quæ de
hog

hoc articulo fuerit sententia veteris Ecclesiæ, per illa seculâ, quæ non
Doctoribus tantùm egregiis floruerunt, sed nec adeò contentionibus
& litigationibus obnoxia, sicut postea factum est, cum Satanas pestilen-
tem illam sectam Photinianorum, Erebo eduxit, ac certè per nullam ali-
am sectam potuisset melius furorem suum, iramq; ultimam evomere,
quam per hanc abominandam hæresin, quæ omnes fidei nostræ Christi-
anæ articulos labefaciat & evertit.

CAPUT. V.

*Exhibens quæstiones, circa hunc articulum occur-
rentes.*

Quæst. I.

*An Christus secundum humanam tantùm, an verò
utramq; naturam satisfecerit?*

Affirmatur posterius; Non homo tantùm, nec DEUS tantùm, sed DEUS
& Homo simul, sive Θεάνθρωπος pro nobis satisfecit, idq; obadien-
tiâ, ut loquuntur, & passivâ, & activâ. Non homo tantùm, quia nudi
hominis satisfactio sufficiens λύτρον pro totius mundi peccatis non po-
tuit esse, Pl. XXXIX. 8. 9. Job. IX. 3. & 31. Pl. CXXX. 3. Nudo ho-
mini impossibile fuit, peccatum abolere, caput serpentis infernalis con-
terere, regnum Diaboli destruere, mortem absorbere. Nudo homini
impossibile fuit, vitam æternam credentibus conferre. Unde Anshel-
mus lib. II. c. 7. *Si homo tantùm, satisfactionem non faciet, quia non poterit:*
Non DEUS tantùm, siquidem, is non peccaverat, nec etiam poterat pati,
crucifigi, mori; divina enim natura est ἀπαθής impassibilis, in suâ natu-
rà & essentiâ ζωωδώς κατ' εἰσάαν. Mal. III. 6. Vnde iterum Anshel. d. I.
si DEUS tantùm, satisfactionem non faciet, quia non debebit. Concludi-
mus itaq; ; Θεάνθρωπον & DEUM & hominem pro nobis meruisse &
satisfecisse, & Christum esse redemptorem, mediatorem, & satisfacto-
rem nostrum, non secundum unam tantùm, sed secundum utramq; na-
turam, pati enim potest in carne assumptâ in suam ὑπόστασιν 1. Petr. IV. 1.
ὑποστὰς πικρῶς καὶ ἐνώσιν; DEUS est passus in carne per appropriationem.
Act. XX. 28. DEUS proprio suo sanguine acquisivit Ecclesiam; ubi vocabu-
rum ἰδίον denotat appropriationem, per quam assumens Filius DE I pas-
sionem

honem in humanâ naturâ seu carne peractam, sibi appropriat. Id
 quoq; evincunt dicta, *Gen. III. 15. 1. Tim. II. 4. Dan. VII. 13.* de huma-
 nâ naturâ. De divinâ naturâ autem *Esa. XXXV. 4. Os. I. 7. Act. XX. 28.*
Rom. V. 10. Hebr. I. 3. 1. Job. I. 7. Unde Menz: in Aug. Conf: pag: 112.
Filium DEI non intelligo DEUM simplicem, nudum sive ἀόριστον (de quo
 passio & mors verè dici non potest, cum sit in naturâ suâ divinâ ἀόρι-
 στὸν) *sed DEUM incarnatum sive θεῶνθρωπον, de quo verè passio & mors*
predicatur, propter naturam humanam. Hucusq; Mentzerus. Nec se-
 quitur: si DEUS est passus in carne, quod λόγος accepisset ab huma-
 nitate passionem communicatam, sed potius seipsam communicavit
 humanitati; Solus homo non valuisset eas passiones superare; quæ so-
 lidè explicat Lobek: pag. 121. & Theodoricus, Cath. p. mihi 325. *Chri-*
stus in propriâ carne passus est, quæ tamen & ipsi propria personaliter,
 quam sua divinitas essentialiter. *vide ibd. plura.* Et sic passio & mors
 tribuuntur DEO, non naturaliter & per se, sed personaliter, per & pro-
 pter unionem, & quæ hanc sequitur, communicationem Idiomatum.
 Distinguendum quoq; est inter mori, quod humanæ competit naturæ,
 & inter mori pro mundo, ut vita restituatur, quod in viribus humanis
 non est, sed divina & infinita virtus ad id requiritur. Hinc Theodo-
 retus dicit, dialog. 3. *Divina natura quidem nullum dolorem sentit ex*
passione humana nature, appropriat autem sibi passionem, tanquam pro-
prij templi, ac carnû unita passionem, & ita perinde est, ac si in propriâ na-
turâ passa fuisset. Hoc similibus aliquot declarari potest: I. David
 contumeliam, legatis suis illatam, sibi appropriavit. *II. Sam. X. 4.*
 2. DEUS persecutionem Christianorum sibi appropriat. *Act. IX. 5.*
Matth. XXV. 40. Esa. XXX. 23. 24 Multo magis assumens Filius DEI ap-
 propriavit sibi passionem in propriâ suâ carne personaliter unita fa-
 ctam, quæ longè arctior est. 2. In morbis non tantum corpus patitur,
 sed totus homo, qui constat anima & corpore, & licet anima non eo-
 dem modo dolores sentiat, quo corpus, tamen per appropriationem
 patitur occulto modo, quia naturaliter cum corpore juncta est, & per
 tristitiam, & alia signa suam passionem declarat. Hinc ipse Salvator
 dixit: *Tristis est anima mea usq; ad mortem.* Anima in sua essentia
 considerata, nihil pati potest ut nec divina natura, tamen κατ' ἐνωσιν
 appropriat sibi corporis proprietates; Ita quoq; divina natura assu-
 mentis

D

mentis

mentis λόγος, propter personalem unionem sibi humanas proprietates appropriat. Quanto proprior enim Filio DEI est divina sua natura secundum essentialiam; tanto proprior quoque est humana natura propter personæ unitatem. Proinde, quod DEUS incarnatus facit, & patitur, id facit, ut DEUS & homo. Passio & mors fuit personæ, persona illa quæ passa est, DEUS & Homo est, quæ persona propriè passa & mortua est, in ea natura quæ pati & mori potuit. Observetur hic syllogismus B. Lutheri:

Persona, quæ Christus dicitur, patitur & moritur verè.

Sed hæc persona non tantum est homo, sed etiam DEUS.

E. Non tantum homo, sed & DEUS passus & mortuus est verè,

Et est regula Theologica: Quæcumque de Christo dicuntur, sive sit DEI, sive sit hominis proprium, hoc de utraq; naturâ intelligendum est, hac conditione, ut uni essentialiter, alteri per communicationem attribuat; ut Vigilius lib. 2. contra Eutychem. *DEUS non est passus in proprietate naturæ, sed in unione personæ.* Vide Meis Phil. Sobr. p. 305. Non possum quin adducam adhuc Damascen. lib. III. Orth. Fid. c. 15. *Agit Christus secundum utramque, sui ipsius naturam. & agit utraq; natura cum communicatione alterius. Communicat igitur divina natura carnî agenti, quæ propter bonæ voluntatis beneplacido permittebatur pati & agere, quæ propria carnis sunt, & propter quod actio carnis omninò salutari erat, non humana actioni erat divina.*

Quæstio II.

An DEUS potuerit, postquam homo peccavit, renunciare suæ Justitiæ, ac condonare peccata, nullâ satisfactione à quoquam interpositâ?

Respondemus Negative: Quod non. Verum quo fundamento Photiniani affirmativam defendunt, non video. Dicunt quidem. 1. quia DEUS est liberrimum agens, & omnipotens, E. facere potest, ut absque satisfactionis remitterentur peccata. Verum, non debemus sapere ὡς ἔστιν ἡ δύναμις τοῦ θεοῦ supra id quod scriptum est, 1. Cor. IV. De potentia DEI ex verbo revelato, non ex stultâ ratione judicandum est. DEUS autem ita omnipotens est, ut non destruat suam essentialiam, si verò renunciat, posset justitiæ suæ, absque ullâ satisfactione, violaret essentialiam suam, ac
ita

ita non iustus ac verax, & consequenter nec DEUS esset. Est enim DEUS naturam averfans & vindicans peccata, irasciturque illis, veluti cap. III. th. 5, 6. monstravimus, & dictis scripturae probavimus. Sic & in DEO non tantum est misericordia, sed & iustitia, quae sine sanguinis effusione peccata non remittit *Ebr. IX. 22.* Nec renunciat iustitiae suae, praemii impios ornando, pios vero panis; contra voluntatem semel definitam non facit, alias esset mendax, cum dixerit: Morte morieris. Impossibile autem est, DEUM posse mentiri, negare, hoc est, destruere seipsum non potest, *est ignis consumens. Deut. IV. Rom. II. reddet unicuique secundum opera. II. Thess. I. Iustum est apud DEUM, vicissim reddere iis, qui affligunt vos, afflictionem;* non potest igitur absque satisfactione condonare, quia contra naturam & voluntatem ejus iustam fuit. Non loquimur autem hic, de DEI potentia absoluta, quid initio ut liberrimum agens facere potuisset: E. g. Potuisset homines creare, vel non, legem illis dare, vel non &c: Sed quaestio est de potentia post promulgatam sententiam verbi, quae ordinata, seu limitata dicitur: DEUS fixit modum suae potentiae: Quaecumque die commederis &c. Hic consideratur DEUS, ut mundi iudex, quatenus agit secundum legem a se latam, quam ut veracissimus & immutabilis, retractare nequit. *Est DEO nihil impossibile, nisi quod non vult,* ut Tertul. inquit, lib. de carne Christi: Sed non vult remittere poenam, absque satisfactione, quia aliter decrevit, & hoc decretum in verbo legis & Evangelij revelavit, se nolle peccatum dimittere impune, sed severiter ulcisci, vel in ipsis peccatoribus, vel in alio, scilicet Filio suo Mediatore. Ac cetero, si omnia *omnipotentia* adscribenda sunt, non esset omnipotentia sed defectus potentiae; iustus enim iniuste agere posset; DEUS verax, mendacia loqui posset, virtutem in vitium, lucem in tenebras, maledictionem in benedictionem, damnationem in beatitudinem, & vice versa vertere posset, & posset renunciare suae misericordiae, imò ipsos Diabolos posset per suam gratiam & misericordiam salvare. DEUS aliqua non potest, non ex defectu potentiae, vel imbecillitate voluntatis, sed ex perfectione naturae, quia non potest amare vel non odisse peccatum, item quia non potest mentiri. Quod autem DEUS sit liberrimum agens, conceditur, ita tamen, ut contra naturam suam cum eiusmodi laesione, & imminutione suae iustitiae non solitus sit, nec

possit unquam quicquam agere. Seu, est liberum agens, in operibus ad extra, non verò in operibus ad intra. Opera enim ad intra non sunt ita liberæ voluntatis, ut DEUS illa salvâ essentiâ suâ permittere queat. Gignere enim, Gigni, & procedere, ad ipsum *τὸ αἶψα* divinarum personarum pertinent, ita ut DEUS non esset, si non esset Pater, Filius & Spiritus S. item justus, castus, bonus, verax, &c. Opera vero ad extra, extra se in tempore producit, quæ ex liberrimâ ipsius voluntate dependent, de hoc Psal. CXV. 3. DEUS noster in cælo omnia quæ vult fecit. Notetur & hoc, quamvis DEUS peccata non remittit absq; satisfactione; non tamen exinde sequi, DEUM non esse summè misericordem, punire delicta, & condonare ea, sibi invicem non adversantur, ut Photiniani volunt; Illa enim sunt opposita, quæ dicuntur secundum idem ad idem, & eodem tempore. Hic vero diversa sunt subjecta, Christus & nos homines. Adversantur sibi invicem punire delicta, & ea condonare, sc. in uno, eodemq; subjecto; jam vero DEUS peccata punit non in nobis, sed in Christo, ibi exercet suam justitiam, misericordiam vero in nobis exercet, dum gratis propter *λύτρωσιν* Christi preciosum, peccata nobis remittit: Diversitas itaq; respectus, omnem oppositioem tollit. Puniens peccata non est summè misericors, sc. erga eos, quos ita punit, sed nihilominus est misericors erga alios, quibus condonat peccata, ex merâ misericordiâ. DEUS vi justitiæ suæ absolutæ, secundum quam est ignis consumens, neminem diligere potest, nisi habeat respectum ad medium satisfactorium, quod intuetur. Et DEUS vi suæ misericordiæ absolutæ nemini potest condonare peccata, nisi prius justitiæ divinæ fuerit satisfactum.

Quæstio. III.

An una guttula sanguinis Christi, suffecerit ad satisfactionem pro totius generis humani peccatis?

Quod de una guttula sufficiente, dicunt Theologi, & Patres, non hoc, intelligendum est absolute, de consummatione meriti & consilio DEI, sed respectivè, quoad dignitatem personæ. Meis. Anthrop. Dec. III. Disp. 26. Vbi igitur infiniti Filij DEI sanguis effunditur, ibi quidem unica gutta sufficit. Hinc versus communis: Sanguine de Christo mihi guttula sufficit una. Et S. Bernhard: quem allegat D. Franz: Hin ist, animal.

mal. p. 245. una guttula sanguinis Jesu Christi sufficit pro redemptione totius mundi, etiamsi mille essent mundi. Consequentia tamen, quam exinde deducunt Adversarij, nulla est. Soc. in præl. Theol. cap. XV. p. 106. si dignitati personæ satisfactio est ascribenda, contentus esse DEUS debuit levissimâ aliquâ pœnâ, nec ipsum tam atrociter excarnificare, nec ante mortem tot angustiis animi & corporis premere, neque eum derelinquere. Pag. 261. si verum hoc esset, levissimâ aliquâ pœnâ de Christo sumptâ, Justitiæ DEI satisfieri potuisset, ut non opus fuerit tam diris eum cruciatibus affigi; nam & levissimæ pœnæ hoc pondus ab æternâ Deitate addi poterat Gittich. p. 1. si una gutta sanguinis fuit sufficiens, reliquæ sunt frustra effusæ, & DEUS fuit crudelissimus, qui plus requisivit. Verum refutant seipsum Photiniani. Socinus enim p. 114. in Præl. Theol. c. XV. Non satisfuisset, inquit, Christum simpliciter mori, sed atrocissimam mortem eum subire, opus fuit. Et paulò post: Oportuit Christum non solum mori, sed atrocissimâ & ignominia plenâ morte occidi. Ur tamen ad argumentum respondeamus, quod tale est: Vbi effunditur infiniti Filij DEI sanguis, ibi unica guttula sufficit ad redemptionem totius generis humani; Sed e. g. in circumcisione effunditur infiniti Filij DEI sanguis Ergo illa effusio sufficit ad redemptionem; & per consequens, non opus fuisset, tam atrociter excarnificare Christum in passione, ut sudaret ἰσχύροσ, effunderet sanguinem in flagellatione, & crucifixione, & post mortem in lateris apertione; ergo sanguis Christi effusus in orto, flagellatione; crucifixione, & post mortem effusione, non fuit necessarius ad satisfactionem & redemptionem generis humani; Ergo ira DEI fuit placata per sanguinem circumcisionis, & per illū sanguinem justitiæ divinæ fuit satisfactum. Respondemus ex verbo DEI, justitiā DEI non fuisse contentam unâ vel alterâ guttula sanguinis Filij DEI, sed requisivisse etiam mortem, quia eam peccatis nostris meriti fuimus, mors non fuisset sublata, effusione nudâ sanguinis, sed Christum oportuit mori, ne totum genus humanum æternâ morte periret. Nec sufficiebat mori tantum Christum, sed atrocissimâ morte, sc. crucifixionis, quia nos eramus sub legis maledictione, quam nuda sanguinis effusio tollere non potuit, sed mors crucifixionis. Gal. III. 13. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia scriptum est, maledictus omnis, qui pender in ligno. Crucifixio apud DEUM erat maledicta Deut. XXI. 23. 2. Ab Absurdo: Si u-

Na gutta sanguinis Christi suffecisset, sequitur, quod reliquus sanguis,
 effusus in passione, sit supervacaneus, quod tamen ipse salvator negat,
 quando dicit, Edite &c. dibite, hoc est sanguis meus, qui pro vobis
 effunditur in remissionem peccatorum; quis diceret ad remissionem
 supervacaneam Christum sanguinem effudisse, imò si unica guttula
 suffecisset, sequitur, quod debeam etiam unicam guttulam vini accipe-
 re in coenâ, sufficeret enim mihi ad remissionem peccatorum meorum.
 3. R. Distinguendo, inter redemptionem inchoatam, & perfectam seu
 absolutam. Sanguis in circumcissione profusus, fuit initium redemptio-
 nis, *Da hat er das Angelt geben* / ut loquitur Lutherus: In passione
 vero opus redemptionis absolvit, & nobis perfectam, copiosam & abun-
 dantem satisfactionem promeruit; ne peccatores dubitarent, quasi
 tantum aliquot guttulæ fuissent profusæ, in gratiam sanctorum Patri-
 archarum, prophetarum & Apostolorum: Pl. CXX X. 7. Unde Græcè
 doctiss. Chrysost. homil. XV. indiçt. Rom. 5. Quemadmodum, si quis
 in carcerem conijciat debitorem, decem nummos debentem, neq; i-
 psam solum, sed & cum illo, uxorem, liberos, famulos; veniat vero alius,
 qui non solum solvat decem illos nummos, sed etiam innumera auri ta-
 lenta largiatur: Ita & nobiscum factum est, siquidem plura, quam de-
 beamus, Christus pro nobis solvit, tantoq; plura, quam tunc guttulam
 exiguam pelagus excedit immensum. Dn. D Hutt, in passional. medit. p.
 188. Ad redemptionem una gutta sanguinis profusa, satis fuisset, sed ut
 copiosè redimeret, gloriam sibi parans charitatis, & nos de ea certiores
 reddens.

Quæstio IV.

*An & quomodo illi, qui in V. Test. vixerunt, fuerint
 salvati, num per vitæ puritatem & innocentiam, num ve-
 ro per Christi meritum & satisfactionem?*

Quamvis fermè nullus scripturæ liber sit, in quo meriti & satisfactio-
 nis Christi non fiat mentio, vel apertè, vel obliquè, & si tantùm loca V.
 Test. de illo merito loquentia, forent adducenda, non disputationem,
 sed tractatum integrum scriberemus: Nihilominus tamen ita Adver-
 sarij sunt impudentes, ut dicant, ante Jesu Christi adventum, ab ipso se-
 rè orbis initio, DEUM nullà verà satisfactione acceptâ, peccata condo-
 nâsse, tantùm per vitæ emendationem & innocentiam; & pro stabilien-
 da

dà quoq; suâ sententiâ, scripturæ dicta allegare conantur. Socia: inquit
planè nugatorium est, illos in V. T. per meritum Christi fuisse salvatos;
contrarium elucet *Exod. XXXIV. 6, 7. Num IV 18 19. Deut. IV. 29. 31. cap.*
XXX. 1, 2, & seq. Neb IX. Ezech: XLIX. cap. XXXIII. Jer. III. 14, 15, 22.
cap. IV. 11. Cap XVII. 7, 8. Ps. CXXX, 8. Esa. LV 7. Jon. III, 4. II. Reg. XX.
II. Chron: XXXII. Es. XXXIIX. III Reg. XXI, 27. Joel. II. 13. Jer. XXXI. 34.
Ebr. VIII, 12. cap. X, 17. Verum ad illa loca respondemus in genere, quod
plurima loquantur, de remissione temporali, quam DEUS ob externam
aliquam humilitatem & peccati pœnitundinem, vitæq; emendationem,
sæpè remittit, ut exempla Achab. III. Reg. XXI, 29. Sic Jon. III. Ninivita-
rum exemplum de externâ corporali pœnâ loquitur, quam DEUS, si ve-
lit, avertere possit. DEUS itaq; avertit pœnam illam externam, propter
illorum pœnitentiam. Jer. XVIII. 7. Repentè loquor adversus gentem &c.
Luc. XIII. 1 6 seqq. simile de hortulano. Joel. II, 14. utitur his verbis:
Quis scit, si DEUS convertatur, & ignoscat? quæ certè de remissione cul-
pæ, & pœnæ æternæ, intelligi non possunt, de hac enim remissione non
dubitandum est, & à DEO absq; conditione petendâ; sed de pœnis
temporalibus loquitur, quia in illis debemus nos humiliare sub
potenti manu DEI, & liberum DEO relinquere, utrum velit
pœnas illas vel relinquere, vel totas avertere, vel saltem mitigare.
Eod. conditio Jon: III, 10. Dan. IV, 24. habetur. Quamvis intuitus
meriti Christi ab illâ verâ pœnitentia implicite excludi planè
non potest. Et hoc usitatum est in scripturâ, quod, quando loqui-
tur de mitigatione corporalium pœnarum, ferè semper usurpat hu-
jusmodi formulas; forsitan, aut, quis scit, quia per pœnitentiam non
semper auferretur, sed sæpè tantum mitigatur corporalis pœna. In reli-
quis vero scripturæ dictis, non tractatur ex professo doctrina de satisfac-
tione Christi, sive justificatione hominis, ac quamvis unius causæ ju-
stificationis in illis sit mentio, non statim excluduntur reliquæ. Pro-
pheta enim semper respiciunt ad sacrificia, in quibus typicè Christus
adumbratus fuit. Multa certè inveniuntur scripturæ loca, quæ requi-
runt à nobis veram conversionem, & resipiscentiam ex parte nostrâ,
tamen exinde non efficitur, ex parte DEI non requiri ullam satisfactio-
nem pro peccatis nostris; posito enim uno, non statim excluditur alte-
rum; Sunt nonnulla dicta, quæ agunt de pœnitentiâ nostrâ, in quibus
misericiardiæ DEI expressè nulla fit mentio, non tamen misericordia
DEI

DEI excluditur; Sic nonnulla agunt de misericordiâ, & de poenitentia nihil habent, quæ tamen nunquam excluditur; Loca ergo illa, quæ vocabulum poenitentia habent, non sunt strictè intelligenda, nempe de primâ parte poenitentia, sc. contritione, sed de illâ poenitentia, quæ eadem in Christi meritum sub se quoq; comprehendit E.g. David Pf. CIII, II. prædicabo misericordiam DEI in peccatis ignoscendis illorum, qui ipsum timent; Exinde tamen non sequitur, quod fidem in Christi meritum excludat, sed sub timore Domini comprehendit totam religionem & pietatem, quæ sine fide, & satisfactione Christi constare nequit. Inspiciant modo Photiniani Pf. LI. illa verba: Expiabis me à peccato per hyssopum & mundabor. Ibi typicè habet respectum ad Christi meritum per sacrificia adumbratum. In sanguinem enim agni Paschalis, qui typus erat Christi in cruce mactati, hyssopus intingebatur, Exod XII. 12. Deinde in universali absolutione populi aquam lustralem de cineribus vacæ ruffæ conficiebant. Num. XIX. 6. Eb. IX. & X. typus ad antitypum refertur. Si itaq; Photiniani scire volunt, quomodo in V. T. salvi facti sunt, legant quæso cap. IV. Rom. de justificatione Abrabam, qui est pater omnium credentium, nos quoq; ita justificabimur; ibi inveniet quod fides in semen benedictum sit ipsi imputata ad justitiam & v. 24. statim addit, quod & nobis reputabitur ita fides ad justitiam. Job. III. 18. Qui non credit in filium, judicatus est, ira DEI manet super eum, Est sententia vera & generalis, tam in N quam in V. T. Act. XV. 11. Ebr. XI. 13. Socinus valdè urget exemplum Abelis. Et XI. 4. Qui dicitur fide salvus factus, qualis autem sit, & quomodo non fides sit, meritum Christi apprehendens, vult probare ex v. 6. ubi dicitur; Qui accedit ad DEUM, hunc credere oportet, esse DEUM, & esse remuneratorem quærentibus, &c. Exinde Photiniani tale nectunt argumentum.

Credere quod DEUS sit, & quod sit remunerator se inquirentium, non est fides meritum Christi apprehendens sed vita puritas & innocentia.

Sed per ealem fidem Abel fuit salvatus.

E. per vitæ puritatem & innocentiam fuit salvatus;

Et per consequens, non Christi satisfactione, sed vitæ emendatione in V. T. impetrarunt remissionem peccatorum.

Min.

Min. prob. Socin. in præl. Theol. p. 90. Qui DEUM se quærentium, h. e. sibi obedientium ex animo credit, ille etiam obedit; Qui autem obedit, is demum purè ac innocenter vivit. Atque hæc est causa, cur fides nos DEO acceptos faciat. Verum, falsa affertur à Socino fidei definitio. Credere enim *DEO*, non salvat, *Jac. II, 19.* Credere DEUM, h. i. est credere DEUM esse omnipotentem & veracem in promissionibus, quod est fidei basis. Quod autem DEUS dicatur *propter meritum* præmij largitor, quærentibus se, id de vero modo quærendi DEUM intelligendum est. Hic autem est verus modus quærendi DEUM secundum scripturam, ut homo de seipso desperans, ad Christum, unicum salutis nostræ asylum confugiat; Christus enim est via quærendi DEUM, *Job. XIV. 6.* Remuneratio igitur non ad operum dignitatem ac pretium, sed ad fidem refertur, quæ extra justificationis causam expectat promissam remunerationem, ex bonitate promittentis DEI. Rom. IV. 4. explicat Apostolus, ut in propriâ sede, quid per fidem intelligatur in articulo justificationis coram DEO, non vitæ puritas & innocentia, sed quod per fidem in Christum Mediatorem justificatus sit Abraham. Nam est unus modus justificandi, Act. XV. 11. credimus per gratiam Christi salvari, quemadmodum & illi, & quo pacto salvatus fuit Abel, eo pacto & nos salvamur. Sed Abel non per vitæ puritatem & innocentiam fuit salvatus; Ergo nec nos ita salvamur, quod erat demonstrandum.

Quæstio V.

An meritum & satisfactio Christi pertineat ad omnes omninò homines?

Respondetur Affirmativè: Quod sic.

Calviniani contendunt, DEUM nunquam voluisse Christum pro omnibus mori; imò Christum etiam nunquam pro iis, qui pereunt, vel passum, vel crucifixum, vel mortuum esse, usq; adè, ut *Beza* cum sociis in colloquio publico *Mompelgart: part. II. Res. p. 221.* dicere non exhorruerit Iterum autem dico, & coram totâ Ecclesiâ DEI profiteor, falsum, blasphemum, impium esse dicere, Christum, sive quoad DEI consilium attinet, sive quoad effectum, non minus pro damnandorum & æterno judicio adjudicandorum peccatis passum, crucifixum, mortuum esse, & satisfecisse, quàm pro peccatis Petri, Pauli & omnium sanctorum. Et in antith. de loco I Joh. II.

Intolerabili vox vestra visa est, Christum esse mortuum pro damnatis p. 114. Sic pag. 194. Dico, nunquam tempus fuisse, vel esse, vel futurum, quo voluerit, velit, aut voliturus sit, singulorum misereri, sed ab aeterno pro hominum sua voluntate, & ea quidem, cui resisti non potest, constituisse, & quorum in Christo misereretur, & quos in Christo induraret, Vid. plura apud Piscat. in Disput. pecul. de hac quaest. An DEUS velit singulos homines salvos fieri? Calv. contra Heshus. Tossan. in disput. quad. Heid. habit. Zanch. in miscel. p. 290. Horrenda sunt plus satis ea, quae jam posuimus, quae sententia eadem hodie plerorumque Calvinistarum est; quorum impietati sequentia opponimus, ac dicimus, DEUM neminem unquam absolutam suam voluntate ad damnationem praedestinasse, aut ordinasse, sed donasse Christum mediatorem, & singulis & omnibus, idque probamus claris scripturae dictis I. Joh. II. 2. Christus est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, (nempe Christianorum seu credentium tam ex Judaeis quam ex gentibus. Est enim haec epistola catholica, non ad unum Judaeorum populum, sed ad omnes in toto terrarum orbe, inter qualvis gentes, Christianos perscripta) sed etiam pro totius mundi peccatis, i. e. quorumvis hominum in toto mundo existentium. Christus est servator omnium hominum, illuminat omnem hominem Joh. I. 9. sc. ex ordinatione & consilio DEI. Et qui ut oves errarunt. Es. LIII. 6. Eorum peccata in Christum posita fuere. Sic II. Corinth. V, 15. Hebr. VII. 9. Rom. V, 8 & 19. dicitur, Christum pro omnibus mortuum esse, Rom. VIII, 32. Joh. III, 16. cap. V, 23. pro toto mundo; nota, in tota sacra scriptura, vocabulum mundi nunquam sumi pro electis tantum. Plura de hac controversia qui desiderat, inveniet apud Mentz. par. 1. p. 701. Gesner. Form. Conc. p. 670. D. Forst. integ. Diss. th. 142. Lobeck. th. 27. de praedest. Hunn. in Johan. p. 172. Hunn. de praedest. p. 169. 181. Hutt. Form. concord. p. 1145. & alios Placet Ambrosij verba hic apponere; Serm. 8 in Psalm. 118. Sol justitiae omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit. Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat, ut si quis clausis fenestris radios solis excludat. Et August. in enarratione Psal. XCV. ait: Tenebantur homines captivi sub diabolo, & demonibus serviebant, sed redempti sunt a captivitate. Vendere enim se potuerunt, sed redimere non potuerunt. Venit redemptor & dedit pretium, fudit sanguinem suum, & emit orbem terrarum. Queritis, quid eme-

rit? Videte quid dederit, & invenite quid emerit. Sanguis Christi pretium est. Tanti quid valet? Quid, nisi totus orbis? Quid, nisi omnes gentes? Valde ingrati sunt pretio suo, aut multum superbi sunt, qui dicunt, aut illud tam parvum esse, pro quibus solis, illud sit datum. Non ergo exultent, non superbiant, pro toto dedit, quantum dedit. Novit quid emerit, quia novit quanti emerit, & quanti dederit. Instant quidem adversarii multis scripturae locis, imprimis vero valde urgent loca Joh. III. 36. ubi dicitur: Qui incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira DEI manet super eum, Exinde concludunt, quod impij non fuerint ab ira DEI à Christo liberati. Resp. Est confusio statuum: Super quos manet ira DEI, in statu scilicet post hanc vitam, non videbit *ὁ ψευδῶν* vitam. *ἀλλ' ἢ δευτὴ τῆς Ἰησὺ μένει ἐπ' αὐτῶν.* Ergo loquitur de statu futuro. Sed sunt liberati à Christo in statu restorationis. Qui non credit, constanter scil. finaliter & perseveranter usq; ad finem, ille judicatus est, nempe in praesentia & ordinatione DEI. & nunquam post hanc vitam liberabitur ab ira DEI, causa mansionis additur in textu, nimirum incredulitas; qui non credit jam judicatus est, non vero quod non sint à Christo liberati ratione acquisitionis. Meritum enim Christi dupliciter consideratur. 1. ratione meriti omnibus sine exceptione acquisivit, & sic totus mundus DEO est reconciliatus. 2. Cor. V. 2. Ratione apprehensionis, prout meritum ac beneficia verbo Evangelij oblata, vel acceptantur ab hominibus vel repudiantur. 2. Pro sua sententia allegant dictum Job. XVII. 9. Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo; Exinde concludunt, quia pro mundo Christus non oravit, nec pro eis satisfecit. Resp. Denunciat hic Salvator in penitentibus aeternam damnationem, ut justus iudex, non ut catholicus Salvator. Oravit autem pro illis, dum sese in ara crucis offerret, & pro illis satisfecit: Illa autem oratio antegressa est actum oblationis multarum horarum spatio. In cruce vero oravit pro omnibus, imò pro hostibus quoq; Luc. XXIII. Es. LIII. Ebr. V. Non tamen orat pro mundo, ut scelerati mundi conatus feliciter succedant, ut explicat Glosa margin: Non oro, ut mundi & infidelium instituta, & actiones tibi placere sinas. Cum Davide enim precamur cum conditione, ut confundantur & pereant potius, quam DEUM contumeliis afficiant, & multorum salutem impediunt; Sic precamur contra veritatem caelestem oppugnantem, Voluntate autem antecedente pro toto humano

humano genere interessit ab æterno, quia in ipso electi sumus; *Ephes. I, 4.* Ergo tum eramus in conspectu DEI & præscientia non electi, sed peccatores, filij iræ, alieni à populo DEI, (quod autem hoc loco non pro mundo oravit, ad voluntatem consequentem & judicariam referendum est. Unde Hunn: de præd. pag 351. Mala collectio; non orat pro mundo, seu infidelibus; Ergo nullà alia vice, loco, aut tempore oravit pro illis, licet non hoc loco, hoc capite, aut tempore, in hac peculiari precatione: Nos habemus interdum peculiare precationes pro solà Ecclesiâ, nec inferre aliquis debet; Si in iis precandi formulis, solius Ecclesiæ salutem DEO commendamus, quod & in aliis formulis precationum pro solà Ecclesiâ precemur, atq; sic nunquam oremus pro cæteris hominibus, ut illuminentur & convertantur, non valet consequentia. 3. Proferunt locum *Matth XXVI, 28.* Hic est sanguis meus N. T. qui pro multis effunditur, in remissionem peccatorum; Si pro multis, non pro omnibus. Resp. Vox *πλῶν* in illis locis opponitur paucis, & *καθόλου* accipitur pro omnibus, qui multi dicuntur, propter numerosam multitudinem *Psal. CVII, 1.* latantur insulæ multæ, i. e. passim omnes, in toto terrarum orbe. *Dan XII, 2.* Multi de his qui dormiunt in pulvere terræ, evigilabunt, h. e. omnes. Resurrectio enim universalis erit omnium. *Rom. V, 19.* Peccatores constituti sunt multi, quod ipse vers. 12 13. per omnes explicat; Vide Hunn. disp. 1. Marp. p. 174. Propter ingentem multitudinem multi appellantur, & non partem multitudinis, sed totam multitudinem, & universalitatem significat. Chemn. harm. Evang. par ult. p. 288. Atq; ista de satisfactione & merito Christi sufficiant. Rogamus autem præpotentem DEUM, ut & in posterum nostras Ecclesias à falsis Prophetis clementer custodiat, contemptores, filij seu meriti Christi confundat, nos omnes in veritate agnitâ confirmet, & in verbo suo usq; ad vitæ nostræ terminum conservet, quo in pace & lætitiâ, ex hoc ergastulo in beatissimam vitam migremus.

Tibi Domine Jesu, ut vero DEO, ut vero redemptori, ut vero sacerdoti, ut veræ pro peccatis victimæ, cum Patre & spiritu Sancto, uni tecum DEO, sit Laus, honor & gloria, in infinita secula.

FINIS.

rit? Videte quid dederit, & invenisse quid emer-
 ritum est. Tanti quid valet? Quid, nisi totus orbis?
 tes? Valde ingrati sunt pretio suo, aut multum super
 aut illud tam parvum esse, pro quibus solū, illud sic da-
 ulsent, non superbiant, pro toto dedit, quantum dedit.
 quia novis quanti emerit, & quanti dederit. Instant
 multis scripturæ locis, imprimis vero valdè urgen-
 ubi dicitur: Qui incredulus est Filio, non videbit
 manet super eum, Exinde concludunt, quod impi-
 DEI à Christo liberati. Resp. Est confusio statuum:
 ira DEI, in statu scilicet post hanc vitam, non vide-
 αλλ' η δέγνη τὴ θεῶ μένει ἐπ' αὐτῶν. Ergo loqui-
 ro. Sed sunt liberati à Christo in statu restaura-
 credit, constanter scil. finaliter & perseveranter us-
 judicatus est, nempe in præscientiâ & ordinatione I-
 post hanc vitam liberabitur ab irâ DEI, causa ma-
 textu, nimirum incredulitas; qui non credit jam
 vero quod non sint à Christo liberati ratione acqui-
 enim Christi dupliciter consideratur. 1. ratione ma-
 exceptione acquisivit, & sic totus mundus DEO
 2. Cor. V. 2. Ratione apprehensionis, prout mer-
 verbo Evangelij oblata, vel acceptantur ab homi-
 nunt. 2. Pro sua sententia allegant dictum *Joh. X*
 rogo: non pro mundo rogo; Exinde concludunt
 Christus non oravit, nec pro eis satisfecit. Re-
 Salvator in penitentibus æternam damnationem,
 ut catholicus Salvator. Oravit autem pro illis, du-
 offerret, & pro illis satisfecit: Illa autem oratio a
 oblationis multarum horarum spatio. In cruce
 mnibus, imò pro hostibus quoq; *Luc. XXIII. Es. LI*
 men orat pro mundo, ut scelerati mundi conatus
 ut explicat Glosa margin: Non oro, ut mundi & i-
 & actiones tibi placere sinas. Cum Davide enim p-
 ditione, ut confundantur & pereant potius, quàm I-
 afficiant, & multorum salutem impediunt; Sic pre-
 tatem celestem oppugnant, Voluntate autem an-

